INDEX LECTIONUM

QUAE AUSPICIIS

AUGUSTISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS

GUILELMI

GERMANORUM IMPERATORIS BORUSSORUM REGIS

IN

ACADEMIA

THEOLOGICA ET PHILOSOPHICA MONASTERIENSI

PER MENSES HIBERNOS A. MDCCCLXXXII—III

INDE A DIE XVI MENSIS OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABEBUNTUR.

PRAEMISSA EST P. LANGENI ANALECTORUM PLAUTINORUM PART. II.

MONASTERII GUESTFALORUM.
EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA COPPENRATHIANA.

1882/82

AUCTORITATE

RECTORIS ET SENATUS

CIVIBUS HUMANISSIMIS S. D.

P. LANGEN,

LITTERARUM LATINARUM PROF. P. O.

Draeger in syntaxis historicae linguae Lat. tom. IV §. 467 non satis recte exposuit, qualis usus cur particulae antiquissimis temporibus fuerit. Id sane verissime dixit, fere semper scriptum esse hoc adverbium in interrogatione directa, raro in obliqua. Apud Plautum quidem illud plus septuagiens reperitur, hoc tribus locis: Merc. 503

Amábo ecastor, mí senex, elóquere || Exquire quídvis ||
Cur émeris me.

Capt. 1004

Áttat, scio cur té patrem esse adsímules et me fílium.

Asin. 730

Nec quíd dicatis néc me cur ludátis scire póssum.

Apud Terentium reperimus cur particulam in interrogationibus directis duodequinquaginta locis, uno loco in interrogatione obliqua, qui est Haut. tim. 1 seq.

Nequoí sit vostrum mírum, cur partís seni
Poéta dederit, quáe sunt adulescéntium e. q. s.;

nam in eo exemplo, quod praeterea Draeger attulit, Andr. 103

Quid ígitur obstat, cúr non fiant (nuptiae)?

cur est adverbium relativum, non interrogativum. Huius autem usus adverbii relativi certa exempla apud Plautum prorsus desunt. Quod enim affert Draeger exemplum tamquam interrogativi, re vera relativi Stich. 52

Neque ést cur studeam has núptias mutárier

invenitur loco admodum dubio, qui non solum compluribus vitiis laboret, sed etiam in Ambrosiano desit, cfr. Ritschl et quae ego scripsi in 'Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus' p. 48. Praeterea legimus apud Ritschelium Merc. 553

dum pótis ames: id iám lucríst,
Cur vívas

ex coniectura scriptum: B habet *dum potest versidiă lucrost quod uno vis,* a qua scriptura quomodo differant C Da Db, videndum in editione Ritschelii; in Ambrosiano autem leguntur haec *potis ames id iam lucrimest;* quae deinceps in Ambrosiano scripta erant, Ritschelius dispicere non potuit. Itaque cur adverbium relativum cum librorum auctoritate non nitatur, quamquam sententia satis apta est, tamen contra Plauti usum scribendum non existimo, sed potius emendandum *id iam lucrumst, quod vivis* h. e. nunc cum sis senex, vitam lucrum putare poteris, quam te adulescentem in re quaerunda cum labore agere convenit 'jetzt ist es Gewinn zu leben'.

Sed ut posteriore tempore Terentius, sic etiam Accius adverbio relativo usus est v. 147 apud Ribbeckium

Quid est cúr componere aúsis mihi te aut mé tibi

et poeta ignotus apud Ciceronem in epist. VII, 3, 4 in versu, quem recepit Ribbeckius inter fragmenta comoediae palliatae incerta v. 90

Ubi non sis qui fúeris, non est cúr velis [iam] vívere.

Cetera exempla poetarum antiquiorum omnia sunt interrogationis directae plus viginti numero praeter unum Pomponii 102

Vólo scire ex te, cúr urbanas rés desubito déseris.

Domus substantivum ante tempora Sullana nunquam secutum est declinationem stirpium in u exeuntium. Genetivus singularis igitur erat domi, non domus, quae forma apud Varronem primum reperitur; cfr. Plaut. Trin. 841

Pól quamquam domi cúpio, opperiar

secundum Donati et Ambrosiani testimonia, ceteri libri *domum* habent; Trin. 1027

Nón fugitivost híc homo: commeminít domi

Amph. 187

Id cóntigit, ut sálvi poteremúr domi

Amph. 503

Edepol haút quod tui me néque domi distaédeat

Mil. 801

Ille éius domi cupiét miser

ex coniectura Ritschelii, sed quod libri habent *ille — eiusmodist — cupiet miser* non mutandum esse docuit Brix; Ter. Eun. 815

domí focique fác vicissim ut mémineris

Caecil. 284 *decora domi.*

Dativus, qui apud scriptores inde a temporibus Sullanis domui esse solet, antea erat domo: Plaut. Merc. 419 seq.

Múlto edepol, si quíd faciendumst, fácere damni mávolo
Quam óbprobramentum aút flagitium múliebre inferrí domo

ubi codices falso habent *ecferri domo,* cum sententia efflagitetur aut *inferri* quod scripsit Ritschelius Guyetum secutus aut *adferri,* quod coniecit Pistoris; cfr. Catonem de re rust. c. 134: *Iane pater, de hac strue commovenda bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi liberisque meis domo familiaeque meae;* eadem verba repetuntur in capit. 139 et 141. Domui legitur primum in fragmento poetae ignoti apud Ribb. pall. inc. inc. 51 seqq.

Si núnc redire pósset ad superós pater
Qui té tutamen fóre sperarat fámiliae
Domuíque columen [nónne tibi] sic díceret?

Ablativus domo saepe invenitur: Stich. 523 *sí diu afúeris á domo,* ubi Ritschelius contra librorum, etiam Ambrosiani, auctoritatem sine causa necessaria, ut mihi quidem videtur, praepositionem delevit; Amph. 361

Tún domo prohibére peregre me ádvenientem póstulas?

Cas. III, 4, 29

Quid istúc clamoris óbsecro in nostrást domo?

Curc. 208 seq.

Íta me Venus amét, ut ego te hoc tríduom numquám sinam
Ín domo esse istác, quin ego te líberalem líberem.

Epid. 681

Núm te fugi? num áb domo absum? num óculis concessi á tuis

Aulul. 105

Discrúcior animi, quía ab domo abeundúmst mihi

Pseud. 84

Nam is míhi thensaurus iúgis in nostrást domo

Trucul. 261

Séd volo scire: quíd debetur híc tibi in nostrá domo?

secundum Ambrosianum, ceteri libri habent *nostrae domi.* Merc. 395

Quia [ením] non nostra fórmam habet dignám domo

Pers. 509

ea res mé domo expertém facit

Ter. Eun. 960

Quís homo pro moecho únquam vidit ín domo meretrícia
Préndi quemquam?

Ad. 747

Meretríx et mater fámilias una ín domo?

Phorm. 425

Aut quídem cum uxore hac ípsum prohibebó domo

Ennius trag. 63 R.

annos múltos longinque áb domo
Bellúm gerentes súmmum summa indústria

Accius 231

Égone Argivom impérium attingam aut Pélopia dignér domo?

Non prorsus certa sunt verba Titinii 39 R:

Posquám maritus fáctus es, ab hác domo
Abhórres

ubi libri Noniani pro *ab hac* habent *hanc,* ita ut abhorrendi verbum hoc loco cum accusativo coniunctum fuisse non abhorreat a probabilitate. Domu ante Ciceronem non reperitur uno loco Plautino excepto, quem infra tractabimus.

Accedunt formae loci notionem indicantes domi et domo, quas nunquam immutatas esse constat.

Pluralis formae antiquiore tempore admodum paucae reperiuntur ac solius quidem accusativi, quae est domos Poen. III, 6, 19

Domós abeamus nóstras, sultis, núnciam;

Enn. ann. 260 Vahlen

Mox auferre domos populi rumore secundo

Acc. 169 seq.

Nil crédo auguribus, qui aúris verbis dívitant
Aliénas, suas ut aúro locupletént domos.

Sic scripsit Ribbeckius sine dubio recte Nonium secutus, non Gellium, in cuius libris forma domus reperitur. Primus enim, qui domus accusativum pluralem scripsit, fuit Claudius Quadrigarius p. 217, 2 Pet.: *Domus suas quemque ire iubet et sua omnia frunisci,* quae verba Nonius falso Caelio tribuit, de qua re cfr. Peteri annotatio.

Denique etiam linguarum cognatarum comparatione instituta docemur, domus substantivum referendum esse in numerum eorum, quae stirpem in o exeuntem habent, de qua re vide Stolz in stud. Vindob. III p. 91 seqq. disputantem. His causis adducti non dubitamus Militis Plautinae versum 126:

Aít fúgere sese Athénas cupere ex hác domu

ita emendare, ut scribamus domo, praesertim cum haec ipsa forma domu etiam postero tempore multo sit rarior.

Woelfflin in libro quem inscripsit 'Lateinische und romanische Comparation' amplae doctrinae fructus uberrimos nobis praebuisse omnes consentiunt, qui historiae linguarum Latinae et Romanensium cognoscendae operam dant. 'Sed in hac materia, quae per tot saecula tam late pateat, conquirenda et investiganda nonnulla et facillime neglegi potuisse et esse neglecta minime est mirandum. Quare quod quaedam addendo quae Woelfflinus protulit paucis locis correcturus vel suppleturus sum, neque id vitio dari volo viro doctissimo neque quidquam ei de laude iusta et debita detrahi. Sed iam ad rem ipsam veniamus. In pag. 12 libri supra commemorati Woelfflinus contendit, fortiter adverbium in lingua latina apud scriptores classicos qui dicuntur semper significare 'tapfer', velut in Sen. dial. 12, 13, 6 *fortiter miserum* eum designare, qui calamitates fortiter ferat; quin etiam in sermone plebeio, quantum quidem nobis notus sit, hanc significationem servari. Apud medicos autem paullatim notionem mutari, velut apud Garg. Mart. 2 *nulla alia res fortius urinae difficultates resolvit* et 47 *fluxus ventris immodicos fortissime detinet;* apud Oribasii interpretem Latinum, qui sexto saeculo p. Chr. n. vixisse putetur 13, 23 *cum fortiter fuerit purgatus;* 21, 10 *constringere fortiter manus et pedes;* cum Plinius nat. hist. 27, 49 *efficacius purgari* dixerit, Garg. Mart. 46 *optime* et Apul. met. 8, 22 *firmiter alligare.* Verum quoniam fortis adiectivum iam antiquissimo tempore ad corporis robur ac vires significanda adhibebatur, omnino credi non potest, fortiter ad-

verbium apud scriptores et antiquiores et optimae latinitatis semper de animi fortitudine dictum esse. Atque cum apud Senecam tragicum in Hippol. v. 33 seq. legamus

et pugnaces
Tendant Cretes fortia trito
Vincula collo,

quid mirum quod apud Ovidium invenimus rem. am. 397 *attrahe lora fortius;* ibidem 435

Attrahet ille puer contentos fortius arcus

Fast. V, 613 seq.

Saepe deus prudens tergum demittit in undas,
Haereat ut collo fortius illa suo;

his verbis poeta Iovem tergum in undas demittere dicit non ideo, ut maiore fortitudine Europa impleatur, sed ut virgo ipso timore impulsa, ne undis mergatur, firmius adhaereat collo: 'damit sie sich fester an seinen Nacken anschmiege.' Cfr. Met. IV, 26. Neque desunt exempla antiquiora. Prorsus similia verbis scriptoris illius saeculi sexti p. Chr. n. sunt verba Plautina Bacch. 822 seq.

Abdúcite hunc
Intro átque adstringite ád columnam fórtiter;

conferantur praeterea Novii 41

Gnátus artivít [*suae*] *matrí intérfeminia fórtiter.*

Verba admodum corrupte tradita scripsi ut Ribbeckius ea edidit fortasse paullo aliter a Novio scripta, sed de *artivit* verbi et *fortiter* adverbii scriptura dubitari nequit.

In eiusdem libri p. 14 Woelfflin recte dicit rarissime bene adverbium apud Plautum et Terentium adhiberi ad notionem adiectivi augendam, male autem adverbii ad adiectivi notionem appositi primum exemplum non recte affert Catulli 10, 33 *insulsa male ac molesta,* cum iam apud Plautum haec exempla reperiantur: Pseud. 208 *vah! male morigeru's;* Curc. 169 *male mi morigeru's*; Epid. 607 *male morigerus mist*

danista. Non casu factum esse apparet, quod et male in his tribus exemplis et bene in uno illo Capt. 966 Fleck. ab Woelfflino allato ad morigerus potissimum adiectivum appositum est, sed servavit hoc adiectivum notionem et vim verbalem, quae est morem gerere, ut male bene morigerus significet eum, qui male bene morem gerat.

Ceterum duplex vis male adverbio tribuenda est et notionis augendae et elevandae vel etiam negandae: augetur male particula apposita notio eorum adiectivorum, quae mancam aliquam rem vel ingratam vel malam vel turpem vel omnino vituperatione dignam significant velut sunt male laxus raucus aeger garrulus ineptus insulsus dispar (i. e. impar apud Horatium) neque recte Woelfflinus in his ultimis exemplis pleonasmum quendam inesse dixit, cum in eis male non sit particula negandi. Contra elevatur vel prorsus negatur notio eorum adiectivorum, quibus res pulchra iucunda praeclara bona laudabilis indicatur, velut cum dicunt scriptores Latini male fidum sobrium sanum morigerum validum. Neque aliter est explicanda vis adverbii male cum verbis coniuncti: augetur notio cum dicitur male formidare mulcare metuere castigare urere odisse al., negatur apud Plautum Trin. 1048:

Mále fidem servándo illis quoque ábrogant etiám fidem

et male gratiam referre dicitur is qui gratiam non refert Pseud. 320

Sícine mi abs te béne merenti mále refertur grátia.

Quare ne id quidem recte contendit Woelfflinus, in adiectivis quae dicuntur mediae notionis, male solere vim negandi habere, sed pendet haec vis ab ea significatione, quam quoque loco adiectivum habet. Velut cum Horatius digitum puellae male pertinacem nominat, non vult designare, ut Woelfflin interpretatus est 'hartnäckig widerstrebend', nam si quid cui eripitur, merito is est pertinax, negatur igitur potius hoc loco virtus laudabilis pertinacis digiti 'wenig widerstrebend', puella enim se repugnare simulat, sed re vera pignus sibi eripi gaudet; contra si quis est pertinax in re pessima molienda, is dicitur aucta notione male pertinax 'sehr hartnäckig'.

Oppido particulae et originem et significationem propriam non recte explicasse mihi videtur Woelfflinus, cum dicit p. 21, convenire usui antiquo huius adverbii originationem a Ribbeckio in libelli de particulis latinis p. 44 prolatam, ut sit oppido quasi op pedom i. e. ob pedem, et significare ea, quae impedimento sint et agendo officiant. Cum autem talia impedimenta molesta esse soleant, Woelfflinus proprie oppido appositum esse putat ad ea vocabula, quae molesti ingrati iniucundi notionem habeant. Quae explicatio tantum abest ut vera sit, ut prorsus contrariam notionem huic adverbio proprie et antiquissimo tempore fuisse facile demonstrari possit. Apud Plautum enim hoc adverbio indicatur, actionem quandam nullo impedimento interposito absolutam et ad finem perductam esse vel perduci posse. Multo rectius igitur Doederlein in etymolog. VI p. 248 comparat graecum *ἐπιπέδως*, nisi quod substantivum ipsum comparandum esse puto cum praepositione coniunctum *ἐπὶ πέδον*, latine op pedom sive m litera suppressa op-pedo i. e. 'bis auf den Boden, gründlich, völlig'. cfr. 'funditus'. Itaque saepe legimus apud Plautum '*oppido perii, interii*' Bacch. 853; Amph. 299; Asin. 287; Rud. 550; Aulul. 410; 728; 800; Merc. 709; Pers. 741; *oppido occidimus* Most. 733; *periere haec oppido aedes* Most. 165. Similiter sine dubio interpretandum Most. 136

Pérdidi operám fabrorum ílico óppido

ut sit 'prorsus perdidi'. Etsi enim explicatio Lorenzii dicentis ilico oppido esse coniungenda et interpretanda 'gleich auf der Stelle' non omnino improbanda videtur, illa tamen multo magis usui Plautino accommodata est neque recte dixit Lorenzius ad suam sententiam confirmandam: 'oppido verstärkt in dieser Verbindung öfter das ilico'; eiusmodi certe neque apud Plautum neque apud Terentium ullum exemplum reperitur. Conferatur praeterea Bacch. 869

Iam illórum ego animam ambórum exsorbebo óppido

et Bacch. 679 seq., ubi Mnesilochus filius erilis et Chrysalus servus inter se colloquuntur:

Périi. | *Quid ita?* | *Quía patri omne cúm ramento réddidi.* |
Réddidisti? | *Réddidi.* | *Omnene?* | *Óppido.* | *Occisí sumus.*

i. e. 'bis auf den letzten Heller habe ich meinem Vater die ganze Summe übergeben.'

Eandem notionem servat oppido adverbium etiam in his exemplis: Pseud. 424 seq.

Qua in cómmeatum vólueram argentárium
Proficísci, ibi nunc óppido obsaeptást via.

Asin. 883

Quíd fatere? | *Me éx amore huius ésse corruptum óppido.*

Curc. 133 seq.

Pérditus súm miser |
Át pol ego oppidó servata.

Epid. 339

*Ne quíd hinc in spem referás tibi: hoc óppido pollínctumst.**)

Mil. 634

Nám benignitás quidem huius óppido adulescéntulist.

Mil. 627

Quíd ais tu? itane tíbi ego videor óppido Acherúnticus?

Most. 809

Quálibet perámbula aedis óppido tamquám tuas.

In his omnibus exemplis significat oppido 'vollständig, völlig', etiam in Mil. 634 'seine Leutseligkeit ist vollständig die eines jungen Mannes', non 'seine L. ist die eines ganz jungen Mannes', quod voluisse videntur et Woelfflinus p. 21 et Lorenzius ad hunc locum, qui falso verba Liviana comparaverunt lib. XLII, 28, 13: *in Fulvii* (locum) *pontifex Cn. Domitius Ahenobarbus oppido adolescens sacerdos lectus* ubi notio adolescentis simpliciter adiuncto adverbio augetur. Simili modo interpretanda etiam puto verba Rud. 207:

---

*) Scriptura versus est dubia; ego Goetzium secutus sum.

Hóc quod indúta sum súmmae opes óppido

quae dicit Palaestra naufraga: 'die Kleider, die ich auf dem Leibe trage, sind vollständig mein einziger und höchster Besitz', nam cum summus adiectivo adverbium oppido coniungi non posse patet.

Unus tantum locus apud Plautum extat, quo oppido mutata propria significatione adhibetur ad notionem adverbii simpliciter augendam Merc. 245

Atque óppido hercle béne velle illi vísus sum

pro eo quod est *admodum bene velle;* nam qui alter locus invenitur in editionibus Merc. 239, si verba rectius interpunguntur, ad priora a me prolata exempla referendus est. Verba inde a 238 haec sunt:

Dicít capram, quam déderam servandám sibi,
Suae dótem uxoris ámbadedisse óppido.
Mihi illúd videri mírum, ut una illaéc capra
Uxóris dotem símiae ambadéderit.

i. e. 'die Ziege habe die Mitgift seiner Frau ringsum vollständig angefressen, totum circuitum, non partem'. Minus recte editores oppido coniungunt cum eis quae sequuntur *mihi illud videri mirum.*

Prorsus mutatam rem esse videmus iam apud Terentium, qui oblitterata propria significatione nunquam *oppido* verbis adiunxit, sed solis adiectivis et adverbiis ad notionem augendam; Haut. 669

Ita hác re in angustum óppido nunc meaé coguntur cópiae

Haut. 734

Dic me hic óppido esse invítam atque asservári

Hec. 238

Énim lassam oppidó tum esse aibant: eo ád eam non admíssa sum

Phorm. 316 seq.

Phánium relíctam solam? | Síc. | Et iratúm senem? |
Óppido.

Phorm. 763

Eumque ánimo iniquo hoc óppido ferre áiunt. | Nil períclist.

In his quinque exemplis videmus adiectivi notione molesti ingrati aliquid contineri, sed sunt tria exempla notionis contrariae haec: Ad. 322

Te éxpecto: oppido ópportune te óbtulisti mihi óbviam

Haut. 704

Bonam átque iustam rem óppido imperás et factu fácilem

Phorm. 896

Estne íta uti dixi líberalis? | Óppido.

Postea demum magis magisque is usus increbruit, ut oppido coniungeretur cum adiectivis ad notionem molesti potissimum et manci augendam, quare non tantopere vituperare debebat Woelfflinus Ammianum Ausonium alios, quod *oppido gnarus litteratus* similia dixerunt sane contra usum optimae latinitatis, sed accommodate ad sermonem Terentianum.



LECTIONES

I. ORDINIS THEOLOGORUM.

1. Professorum ordinariorum.

AUG. BISPING Dr. 1. historiam passionis resurrectionis et ascensionis D. N. Iesu Christi secundum quatuor evangelistas enarrabit quater per hebd., 2. introductionem in Novum Testamentum cum generalem tum specialem dabit ter per hebd.

IOS. SCHWANE Dr. 1. dogmaticam tractabit quater per hebd., 2. theologiae moralis partem generalem docere perget bis per hebd., 3. doctrinam ethicam de virtutibus theologicis exponet bis per hebd.

IOAN. HARTMANN Dr. 1. ius ecclesiasticum docebit quater per hebd., 2. historiam iuris ecclesiastici fontium tractabit bis per hebd.

2. Professoris extraordinarii.

BERN. SCHAEFER Dr. 1. introductionem in libros V. T. et generalem et specialem nec non historiam revelationis divinae dabit ter per hebd., 2. vaticinia Messiana ex Isaia propheta collecta explicabit ter per hebd., 3. libros prophetarum Ioelis, Iosiae, Abdiae, Nahum interpretabitur bis per hebd.

3. Privatim docentium.

BERN. FECHTRUP Lic. 1. historiae ecclesiasticae partem tertiam tradet quater per hebd., 2. libellum qui inscribitur „de vocatione gentium“ interpretabitur bis vel ter per hebd.

IOS. BAUTZ Lic. 1. apologeticae alteram partem ter per hebd. tractabit, 2. theologiam dogmaticam de Deo uno et trino exponet quinquies per hebd.

II. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

1. Professorum ordinariorum.

GUIL. HITTORF Dr. *publice* bis per hebd. de theoria et usu instrumentorum physicorum, quae ad metiendi artem spectant, disseret, *privatim* physices experimentalis primam partem docebit quinquies per hebd.

ANT. KARSCH Dr. *publice* bis per hebd. phytophysiologiam et phytopathologiam, *privatim* 1. physiologiam hominis, 2. phytologiam specialem utramque ternis per hebd. horis docebit.

GUIL. STORCK Dr. *publice* bis per hebd. Waltheri carmina explicabit, *privatim* historiam litterarum Germanicarum recentiorem enarrabit quater per hebd., *privatissime et gratis* exercitationes Germanicas moderabitur semel per hebd.

PETR. LANGEN Dr. *publice* 1. carminis Lucretiani de rerum natura partes selectas interpretabitur bis per hebd., 2. in seminario regio philologico sodalibus ordinariis Horatii carminum librum primum explicandum proponere perget eorumque disputandi exercitationes moderabitur bis per hebd., 3. sodales extraordinarios in Aeschyli Prometheo explicanda exercebit semel per hebd., *privatim* grammaticam historicam linguae Latinae docebit quinquies per hebd.

IO. MATTH. STAHL Dr. *publice* 1. selecta Pindari carmina interpretabitur bis per hebd., 2. sodalibus seminarii philologici ordinariis Euripidis Hecubam interpretandam proponet eorumque disputationibus praeerit bis per hebd., *privatim* antiquitates Graecorum publicas docebit quinquies per hebd.

AUG. HOSIUS Dr. *publice* crystallographiam ter per hebd., *privatim* mineralogiae partem alteram quinquies per hebd. docebit.

THEOD. NITSCHKE Dr. *publice* bis per hebd. plantarum anatomiam tractabit, *privatim* quater per hebd. botanicam generalem docebit, *privatissime* semel vel bis per hebd. exercitationes botanicas instituet.

PAUL. BACHMANN Dr. *publice* seminarium mathematicum binis per hebd. horis moderabitur, *privatim* 1. calculum differentialem et integralem docebit quater per hebd., 2. functionum ellipticarum theoriam tradet quater per hebd.

GID. SPICKER Dr. *publice* 1. colloquia philosophica instituet bis per hebd., 2. historiam philosophiae medii aevi tractabit bis per hebd., *privatim* historiam et rationem philosophiae enucleabit quater per hebd.

THEOD. LINDNER Dr. *publice* exercitationes seminarii historici binis per hebd. horis moderabitur, *privatim* 1. bis per hebd. palaeographiam Latinam explicabit, 2. quater per hebd. historiam universalem saeculorum XIII. XIV. XV. enarrabit.

GUST. KOERTING Dr. *publice* 1. bis per hebd. exercitationes Anglicas moderabitur, 2. fabulae Troianae historiam inde ab originibus usque ad tempora recentiora bis per hebd. enarrabit, *privatim* 1. grammaticam Francogallicam, 2. historiam litterarum, quae saeculo XVIII. apud Anglos et Francogallos florebant, tradet utramque quater per hebd.

BERN. NIEHUES Dr. *publice* 1. exercitationes seminarii historici bis per hebd. moderabitur, 2. de aevo quod vocatur revolutionis bis per hebd. disseret, *privatim* historiam Romanorum quater per hebd. docebit.

RUD. STURM Dr. *publice* exercitationes seminarii mathematici diriget binis per hebd. horis, *privatim* 1. superficies algebraicas tractabit quinquies per hebd., 2. de maximis et minimis disseret bis per hebd.

HENR. SALKOWSKI Dr. *publice* chemiae anorganicae partem alteram, quae ad metalla pertinet, bis per hebd. tradet, *privatim* chemiam organicam docebit quater per hebd., *privatissime* exercitationes in laboratorio chemico cottidie moderari perget.

2. Professorum extraordinariorum.

CHRIST. SCHLUETER Dr. *publice* ter per hebd. historiam philosophiae recentioris inde a Bacone et Cartesio usque ad nostram aetatem explicabit.

ADALB. PARMET Dr. *publice* 1. prooemium mythologiae tradet ter per hebd., 2. Sophoclis Aiacem interpretabitur ter per hebd., *privatim* Horatii satirarum librum primum explicabit ter per hebd.

HERM. LANDOIS Dr. *publice* ter per hebd. exercitationes practicas ad museum zoologicum spectantes instituet, *privatim* 1. ornithologiam, 2. evolutionem hominis tractabit utramque ter per hebd.

IOS. NORDHOFF Dr. *publice* 1. de recentioribus incrementis archaeologiae classicae disseret semel per hebd., 2. qua ratione aedificia artificiaque conservanda et reparanda sint semel per hebd. explicabit, *privatim* historiam artium recentioris aevi tradet ter per hebd.

HERM. IACOBI Dr. *publice* 1. scholas Sanscriticas continuabit bis per hebd., 2. scriptores Indicos ex optato auditorum interpretari

perget bis per hebd., *privatim* 1. grammaticam comparativam linguarum Indogermanicarum docebit quater per hebd., 2. elementa linguae Sanscriticae tradet quater per hebd.

LADISL. DE OCHENKOWSKI Dr. *publice* theoriae oeconomiae publicae partem alteram docebit bis per hebd., *privatim* theoriae rei financiariae partem priorem exponet semel per hebd., *privatissime et gratis* exercitationes quae ad oeconomiam publicam pertinent moderabitur semel per hebd.

GEORG. HAGEMANN Dr. *publice* historiam philosophiae medii aevi docebit ter per hebd., *privatim* psychologiam tradet quater per hebd.

3. Privatim docentium.

GEORG. HUEFFER Dr. *privatim* historiam Germanicam aevi quod vocant reformationis tractabit quater per hebd., *privatissime et gratis* exercitationes historicas habebit semel per hebd.

IAC. ECKER Dr. *publice* 1. libros Ruth et Esther cum commilitonibus cursim leget semel per hebd., 2. Roedigeri chrestomathiam Syriacam explicabit binis per hebd. horis, *privatim* 1. grammaticam linguae Hebraicae tractare perget et nonnulla libri Genesis capita selecta interpretabitur bis per hebd., 2. librorum Danielis et Ezrae capita Aramaeo sermone scripta exponet semel per hebd., 3. linguae Arabicae elementa docebit bis per hebd., *privatissime et gratis* scriptores Syriacos ex auditorum optato interpretabitur semel aut bis per hebd.

GUIL. DIEKAMP Dr. lectiones non habebit.

4. Lectorum academicorum.

IUL. O. GRIMM *publice* 1. exercitationes cantus chorici instituet semel per hebd., 2. doctrinam harmoniae exponet semel per hebd.

CAROL. DEITERS *privatim* 1. exercitationes practicas linguae Anglicae instituet ter per hebd., 2. Palgrave Simsonis comoediam „Heads or Tails“ commilitionibus legendam proponet et explicabit semel per hebd., 3. exercitationes Francogallicas moderabitur bis per hebd.

Disciplinarum apparatus et instituta.

Bibliotheca Paulina stato tempore patebit eiusque opes litterarum amantibus ex legum praescripto officiosissime dispensabuntur. *Anagnosterium academicum* ephemeridum litteratarum cognoscendarum opportunitatem intrantibus praebebit. *Apparatus mathematicus et astronomicus, laboratorium physicum et laboratorium chemicum, museum mineralogicum et zoologicum, collectio anatomica, hortus* denique *botanicus* naturae studiosis et curiosis lubenter aperientur, qui quidem eos viros quibus earum rerum demandata est cura rite adierint.

De seminario philologico sub nominibus profess. ord. LANGEN et STAHL dictum est, de seminario historico sub nominibus profess. ord. LINDNER et NIEHUES, de seminario mathematico sub nominibus profess. ord. BACHMANN et STURM.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Significat numerus 1. diem Lunae, 2. diem Martis, 3. diem Mercurii, 4. diem Iovis, 5. diem Veneris, 6. diem Saturni; numeri I, II, III rel. auditoria significant.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
7—8		KARSCH P. O., physiol. hominis (1. 2. 3.) aud. zool. Idem, phytolog. special. (4. 5. 6.) aud. zool.
8—9	SCHWANE P. O., dogmatica (1. 2. 3. 4.) Nro. II. Idem, theologiae moralis p. spec. (5. 6.) Nro. II.	KARSCH P. O., physiol. et pathol. plantar. (1. 2.) aud. zool. STORCK P. O., hist. litt. Germ. (2. 3. 4. 5.) Nro. IV. Idem, Waltheri carm. (1. 6.) Nro. IV. HOSIUS P. O., mineralogia (1. 2. 3. 4. 5.) mus. min. LANDOIS P. E., ornithologia (1. 3. 5.) aud. zool. Idem, evol. hominis hist. (2. 4. 6.) aud. zool. HAGEMANN P. E., psychologia (1. 2. 4. 5.) Nro. VI. Idem, hist. philos. aevi medii (3. 6.) Nro. VI.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
9—10	BISPING P. O., passio etc. D. N. Jesu Christi (1. 2. 3. 5.) Nro. III. Idem, introductio in N. T. (4. 6.) Nro. III.	STORCK P. O., exerc. Germ. (3.) Nro. IV. NITSCHKE P. O., botan. general. (1. 2. 3. 4.) Nro. I. LINDNER P. O., hist. saec. XIII, XIV, XV. (1. 2. 4. 5.) Nro. V. Idem, palaeograph. Lat. (3. 6.) Nro. V. STURM P. O., superfic. alg. (1. 2. 3. 5. 6.) Nro. IX. SALKOWSKI P. O., chem. organ. (3. 4 5. 6.) aud. chem. II. PARMET P. E., Sophocl. Aiax (1. 2. 3.) Nro. VI. Idem, prooem. mytholog. (4. 5. 6.) Nro. VI. IACOBI P. E., gramm. comp. (1. 2. 4. 5.) Nro. IV. Idem, schol. Sanscrit. (3. 6.) Nro. II.
10—11	HARTMANN P. O., ius eccles. (1. 2. 3. 5.) Nro. II. Idem, hist. iuris eccl. fontium (4. 6.) Nro. II.	NITSCHKE P. O., anatom. plant. (1. 2.) Nro. I. BACHMANN P. O., funct. ellipt. (2. 3. 5. 6.) Nro. IX.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
10—11	FECHTRUP P. D., hist. eccles. p. III. (1. 2. 3.) Nro. III., (4.) Nro. IV. Idem, de vocatione gentium (5. 6.) Nro. IV.	SPICKER P. O., hist. et syst. philos. (1. 2. 3.) Nro. IV. NIEHUES P. O., hist. Rom. ant. (4. 5. 6.) Nro. III. STURM P. O., max. et min. (1. 4.) Nro. IX. SALKOWSKI P. O., exerc. chem. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) labor. chem. PARMET P. E., Horat. sat. l. I. (1. 2. 3.) Nro. VI. IACOBI P. E., elem. ling. Sanscr. (1. 2. 4. 5.) Nro. V. Idem, script. Ind. (3. 6.) Nro. I. HAGEMANN P. E., hist. philos. (4.) Nro. VI. DEITERS L., exerc. Angl. (4.) Nro. I, (5. 6.) Nro. VI.
11—12	BISPING P. O., introductio in N. T. (1.) Nro. III. SCHWANE P. O., theol. mor. p. gen. (2. 4.) Nro. II. SCHAEFER P. E., proph. minores (3. 6.) Nro. II. BAUTZ P. D., apologetica (5.) Nro. II.	HITTORF P. O., theor. et usus instr. phys. (6.) aud. phys. STAHL P. O., semin. phil. (1. 4.) Nro. I. Idem, Pindari carm. (2. 5.) Nro. IV. BACHMANN P. O., calc. diff. et integr. (2. 3. 5. 6.) Nro. IX.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
11—12		SPICKER P. O., hist. et syst. philos. (6.) Nro. IV. KOERTING P. O., gramm. Francogall. (1. 2. 4. 5.) Nro. V. NIEHUES P. O., hist. Rom. ant. (3.) Nro. III. SALKOWSKI P. O., exerc. chem. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) labor. chem. NORDHOFF P. E., hist. artium recent. aevi. (3. 4. 5.) Nro. VI. Idem, qua ratione aedificia artif. etc. (6.) Nro. VI. DEITERS L., S. Palgr. com. Heads or Tails? (3.) Nro. I.
12—1	SCHAEFER P. E., vaticinia Mess. ex Is. proph. excerpta (1. 2. 3.) Nro. II. Idem, introductio in libros V. T. (4. 5. 6.) Nro. II. BAUTZ P. D., apologetica (4.) Nro. III.	HITTORF P. O., physica experim. (1. 2. 3. 4. 5.) aud. phys. STAHL P. O., antiqu. Gr. (1. 2. 3. 4. 5.) Nro. IV. KOERTING P. O., hist. litt. Angl. et Francogall. (1. 2. 3. 4.) Nro. V. Idem, de fabul. Troi. hist. (5. 6.) Nro. V.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
12—1		SALKOWSKI P. O., exerc. chem. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) labor. chem. DE OCHENKOWSKI P. E., oec. publ. (1. 2.) Nro. I. Idem, res. fin. (3.) Nro. I.
2—3		LANDOIS P. E., exercit. pract. (3.) aud. zool.
3—4		LANGEN P. O., gramm. hist. linguae Lat. (1. 2. 3. 4. 5.) Nro. III. LINDNER P. O., sem. hist. (4.) Nro. I. SALKOWSKI P. O., exerc. chem. (1. 2. 3. 4. 5.) laborat. chem. LANDOIS P. E., exerc. pract. (3.) aud. zool. HUEFFER P. D., exerc. hist. (6.) Nro. III. ECKER P. D., grammatica Hebr. (2. 5.) Nro. V. Idem, gramm. Arab. (1. 4.) Nro. V. Idem, Ruth, Esther (3.) Nro. V.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
4—5	BAUTZ P. D., apolog. (1.) Nro. II. Idem, dogm. de Deo (2. 3. 4. 5. 6.) Nro. II.	LANGEN P. O., Lucretii carm. (1. 4.) Nro. III. Idem, semin. philol. (2. 3. 5.) Nro. I. HOSIUS P. O., crystallographia (2. 4.) mus. min. BACHMANN P. O., sem. math. (1.) Nro. IX. LINDNER P. O., sem. hist. (4.) Nro. I. NIEHUES P. O., de aevo revol. (3. 5.) Nro. III. Idem, sem. hist. (2.) Nro. III. STURM P. O., sem. math. (3.) Nro. IX. SALKOWSKI P. O., exerc. chem. (1. 2. 3. 4. 5.) lab. chem. SCHLUETER P. E., hist. philos. recent. (1. 3. 5.) Nro. VI. ECKER P. D., chrest. Syr. (2. 5.) Nro. V. Idem, lingua Chald. (1.) Nro. V. Idem, autores Syr. (3.) Nro. V.
5—6		HOSIUS P. O., crystallograph. (5.) mus. min.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
5—6		BACHMANN P. O., semin. math. (1.) Nro. IX. KOERTING P. O., excerc. Angl. (6.) Nro. V. NIEHUES P. O., sem. hist. (2.) Nro. III. STURM P. O., sem. math. (3.) Nro. IX. SALKOWSKI P. O., de metallis (2. 4.) aud. chem. I. Idem, exerc. chem. (1. 2. 3. 4. 5.) lab. chem. NORDHOFF P. E., de recent. increm. archaeologiae class. (5.) Nro. VI. HUEFFER P. D., hist. German. aevi quod vocant reformat. (1. 3. 4. 5.) Nro. III.
6—7		KOERTING P. O., exerc. Angl. (6.) Nro. V. DE OCHENKOWSKI P. E., exercit. oec. publ. (1.) Nro. I.

HORIS POSTEA INDICANDIS.

NITSCHKE P. O., exercit. botan.
SPICKER P. O., hist. philos.
Idem, disput. et interpret. philos.
DEITERS L., exercit. Francogall.
GRIMM L., doctrina de harm.
Idem, exercit. cant. chor.


3 0112 126255410